19

GALAXIÆ EXHIBITIO
sive
DISPUTATIO ANATOMICA
De
DUCTU THORACICO CHYLIFERO,
Quam
Fortunante DEO
pro loco ut vocant,
Publicæ ac placidæ Amplissimorum Academicorum Procerum ventilationi submittit,

JOH. DANIEL DORSTENIUS,
Med. Doctor ejusdemque Professor
Ordinarius publicus
Respondente
CASPARO CHRISTIANO SCHETLA,
Wetzflariensi.

In Athenæo majori ad Lanum
ad diem 16. Augusti.

(o)

MARBURGI CATTORUM,
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typ.
Anno M. DC. LXXVIII.

26

Serenissimo ac Potentissimo
Principi ac Domino,

DOMINO

CAROLO,

HASSIÆ LAND-
GRAVIO, PRINCIPI
HERSFELDIÆ, COMITI
CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN-
HAINÆ, NIDDÆ, & SCHAUM-
BURGI, &c. &c.

Patri Patriæ, Principi ac Domino
suo Clementissimo

Dissertationem hanc in devotissimæ subjectionis monumentum, cum perennis salutis ac sanitatis, vitæ longævæ, perpetuæq; felicitatis voto


humillimè offert

Joh. Daniel Dorstenius, D.

Σὺν Θεῷ.

Scientia nostra umbra in sole est, multum quidem egerunt veteres scripseruntq́ue, verùm tantum abest peregerint omnia, ut ignorarint potius infinita, quum maxima pars illorum quæ sciverunt, minima sit eorum quæ sequentium nos docuit temporum industria. De Galeno pronunciavit nonnemo, omnia illum ad artem Medicam spectantia habere. Magnus quidem ille fuit artisq́ue divæ pomæria amplissimè lucubrationibus suis extendit, ut etiam Dei servus sit dictus. Verùm omnia illum scivisse vel operosis voluminibus comprehendisse, recentiorum confutant inventa. Pelagus sanè quoddam perimmensum atq́ue profundum ars est Medica, ita ut submersa sepultaque in eo latitent adhuc per multa, unde nec ulli nato post mille etiam secula præcludetur via aliquid eruendi, artiq́ue huic adjiciendi. Stetit Medicina nostra ab Hippocratis temporibus ad secula nostra, parumq́ue profecit; Verùm hoc in seculo studia Inprimis Anatomica & Chymica tantum augmenti cœperunt, ut nulla fermè ætas, aut indagandis naturæ arcanis curiosior, aut inveniendis felicior, hâc nostrâ illuxerit, quorum tamen felicitatem DEO referimus acceptam & oculatis scrutantium manibus. Exempla multa in scenam hanc producere, instituti nostri ratio non patitur; prodeat saltem unicum illius Joh.

Pecqueti vel potius Bartholomæi Euſtachii inventum; ductus nempe thoracis chyliferus; inventum ſanè magni in medicina, uſus & commodi, ſiquidē ratio multorum φαινομένων affectuumq; in corpore noſtro reddi facilius poteſt, quæ hactenus vel ignorare, vel longè per ambages repetere coacti fuimus, ita ut verum ſit, quod ſuo tempore quoque faſſus eſt Tertullianus, inquiens: Ipſe orbis in promptu eſt, cultior indies & inſtructior priſtino. Recentiorum multi tàm fervidè in ſtudio hoc laborant ac ſi tota Anatome hâc noſtra ætate ad ſummum perfectionis culmē ſit evehenda ac deducenda. De diſtributionis chyli viis controverſiarum ſerram duxere omni ævo Anatomici, ducuntque adhuc multi, dum vel titubanter ductum hunc, aut nunquam ab ipſis viſum, aut nervum recurrentem pro eo ipſis demonſtratum credunt, vel veterum authoritati tam firmiter inhærent veluti Siſyphi ſaxo alligati, ut ſine piaculo non auſi ſint vel latum unguem à trita via deflectere. Quâ de re cùm præterito hoc ſemeſtri brumali in Sectionibus Anatomicis fuerim occupatus, ac inprimis ductū hunc cum chylifero Sacculo, ejus incilibus innumeris valvulisq; non ſemel oſtenderim; nullū argumentum, quamvis aliarum rerum copia certatim ſe mihi commendaverit, in præſentiarum dignius judicavi, quàm ductum thoracis chyliferum. Cujus hiſtoriam feliciter ut tradam tu Triune Deus clementer proſpice cœpto.



§. I.



Ub diaphragmatis appendicibus cellula in quam chylus è lacteis mesaraicis influit non inconvenienter à Pecqueto nomen receptaculi primitus obtinuit, quandoque etiam bursulam dixit receptaculum hoc & ductum ascendentem nominavit thoracicum. Cellulam hanc non sine causa van Horne saccum lacteum appellare maluit: Bartholinus glandulas lacteas lumbares nominat; Charleton eandem conceptaculi Pecquetiani nomine ab inventore designat: Diemerbrock non minus bene receptaculum lymphæ, quam chyli appellari posse autumat; cùm chylus tantum per intervalla in illud delabatur, lymphæ verò influxus continuus sit: Rolfincius distributoria lactea thoracica vocat: Bilsius roriferum ductum nuncupat; Alii aliter cisternam, chyli penum, vesicam &c. cognominant; quam ultimam denominationem incommodam censet Bartholinus, cùm nutritium succum non excrementitium contineat. *Ductus chyliferi Synonima.*

II.

MUltum quidem Pecqueto eo nomine etsi debeamus, quòd hujus cognitionem per integrum fermè seculum altis tenebris Anatomicorum inscitiâ sepultam, suâ diligentiâ, nullo duce; potius casu, magno Medicinæ commodo in lucem protraxerit perfectioremque reddiderit, *Primus inventor quis?*

tamen non est, quòd de primâ inventione totam ipsi adscribamus gloriam; nam centum fermè abhinc annis idem ductus in equorum dissectione omnium primò observatus & notatus fuit à Bartholomæo Eustachio, qui libro de vena sine pari antigr. 13. ita scribit: Itaque in illis animantibus (loquitur de equis) ab insigni trunco sinistro jugali, qua posterior sedes radicis venæ internæ jugularis spectat (putat subclaviam, quâ parte eam jugularis desuper ingreditur) magna quædam propago germinat, quæ præterquam quòd in ejus origine ostiolum semicirculare habeat (valvulam clarè designat) est etiam alba & aquei humoris plena nec longè ab ortu in duas partes scinditur, paulò post rursus coeuntes in unam, quæ nullos ramos diffundens, juxta sinistrum vertebratum latus, penetrato septo transverso deorsum ad medium usque lumborum fertur, quo loco latior effecta, magnamque arteriam complexa, obscurissimum finem, mihique adhuc non bene perceptum, obtinet. Ex his patet ductum hunc ab Eustachio omnium primò fuisse inventum & observatum, quamvis usus ipsi non satis fuerit cognitus, describit enim illius principium à subclavia, ubi tamen finis est, & rursus finem in lumbis, ubi principium est. Itaque primam sed rudiorem detectionem debemus Eustachio, accuratam verò & perfectam cognitionem ac demonstrationem Pecqueto aliisque.

III.

Situs. DUctus hujus situs est in thoracis cavitate prope renes sub emulgentibus & diaphragmatis appendicibus inter musculorum lumbarium ψόας capita, non exactè tamen in omnibus medium lumborum locum servat, non observat enim natura ἀκρίβειαν Mathematicam, sed in brutorum anima-

animalium ſubjectis quæ hactenus ſecui ad dextrum magis receptaculum hoc inclinaſſe latus ſemper viſum fuit ab adſtantibus, quamvis Bartholinus & alii plerumque in brutis ad ſiniſtrum latus deflectere id velint. Verùm utut ſit ſive plerumque ad dextrum, ſive ſiniſtrum inclinet latus, parum commodi inde hauritur; E contra autem ſitus profunctus altioris eſt indaginis; non tantum enim ad tutelam ſpectat, dum ab antica parte ductus hic inter vaſa nobilia arteriam magnam deſcendentem & venam cavam aſcendentem ut & æſophagum pleurâ contectus; poſticâ verò parte inter vertebras lumborum & dorſi locatus reperitur; verùm etiam ad chyli motum & expreſſionem faciliorem, præſertim in erecto corporis ſitu non parum conducit; Diaphragmatis enim appendices, quibus ſubjacet, diſtendi aut contrahi nequeunt in reſpiratione, quin & ipſum receptaculum diſtendant aut premant, ad quam preſſuram Bartholinus muſculos ψόας ſuas quoque conferre operas rectè credit.

IV.

DUctus hic cum ſacculo ſubſtantiâ conſtat membraneâ admodum tenui & ſimplici, quantum hactenus obſervare potui, quæ ad leviſſimum cultri vel manus contactum rumpitur; minimè verò glanduloſâ ut imbibere poſſit ſuccum chyloſum, quemadmodum ſcribit Rolfincius ex Bartholino, qui glanduloſam ejus ſubſtantiam vidiſſe perhibet; nullam enim cum glandulis ſubſtantiæ ſimilitudinem habet, ut obſervarunt quoque Clariſs. Rudbeck & Diemerbrock; hinc ſuperius dictum non ſine cauſa nominari ſacculum chyliferum; hic in ſua cavitate chylum continet vel lympham. Subſtantia.

V. In

V.

Magnitudo. IN magnitudine multum variat, cùm in brutis, tum in hominibus, plerumque tamen calamo ſcriptorio craſſitudine reſpondet, ita tamen ut circa receptaculum, quod ſpatium inter lumbares muſculos ad renes plus minus implet, amplior, in progreſſu verò anguſtior credatur.

VI.

Numerus. QUemadmodum autem ductus hic magnitudine, ita & numero quoque variat, plerumque tamen unicus cenſetur, quod Bartholinus ſex hominum, pluriumque brutorum ſectione cum aliis confirmat; Circa medium quidem thoracis ubi ad ſiniſtrum latus juxta æſophagum cui membranæ communis beneficio adhæret, in duos ramos diviſum, paulò poſt verò rurſus coëuntes ſemper obſervavi; exinde autem duplicem colligere ſtatim ductum minimè fas erit. Propagines hæ ideò duæ ſunt & velut ſcalæ latera mutuo inter ſe communicant iterumque coëunt, ſi forſitan in una propagine obſtructio aut compreſſio ob partes adjacentes &c. obtigerit, chylus per alteram liberè aſcendere poſſit, quoniam ſanguis vitaque ipſa à continuo recentis chyli influxu dependet, neceſſe fuit ut per vaſa libera & expedita in eum tranſeat.

VII.

Figura & Color. FIguram quod attinet, ovalis ea aut potiùs pyramidalis obſervatur. Color candidus eſt, dum lacte turget.

VIII.

Inſertio. INſertio ordinariè fit in venam ſubclaviam ſiniſtram, cùm in hominibus, tùm in brutis, rariſſimè in utramque, & vix in centeſimo animali id inveniri arbitratur Clar. Diemerbr.

IX. Val-

IX.

VAlvulas multas agnoscit hic ductus; in sacculo tot quot ramuli inseruntur; In medio ductus aliquot ubi in binos ramos abit & denique circa insertionem ne sanguis præterlabens aperturæ ejus incurrat, oppletionemque inferat, ideò inprimis huic ostio valvula est obducta, quæ sanguinem à vena jugulari & axillari redeuntem rejiciat & obtento quasi velo foramen illud ab irruentis sanguinis affluxu præmuniat, reliquæ verò chyli & lymphæ ascendentis regressum impediant. Ex eo satis manifestum quod contentus chylus digito facilè sursum adigi, deorsum verò pelli minimè queat; Et quòd ductu alicubi pertuso lacteus quidem succus ab inferiore parte sursum tendens effluat, verùm à superiore parte intra valvulas subsistat, neq; ad inflictum vulnus descendat; præterea quòd per immissum tubulum flatus aut per siphonem injectus liquor facilè sursum ascendat, deorsum verò repelli nequeat. *Valvulæ.*

X.

DUctus hujus ramulos ad alia loca non excurrere communis etsi hactenus fuerit sententia, ratio tamen & usus seu effectus conjecturam non levem ad mammas uterum & vesicam quoque derivari, efficiunt; Imò eorum præsentiam etsi non omnium tamen quorundam oculatissimorum Anatomicorum autopsia confirmare videtur. Ita Everhardi tract. de ortu animal. in cuniculo lactante manifestam vasorum lacteorum deductionem ad mammas observavit. Horum, inquit, ductuum nonnulli ex trunco descendente oriundi excurrentes super musculos abdominis, subter pinguedinem, glandulosæ mammarum substantiæ materiam lactis suggerebat, qui tubulos postmodum manifestos satis constituebant ex quibus lac in communem canalem dedu- *Lacteorum ramorum ad ubera propagines.*

 citur,

citur, perq; papillam exhauritur. Pecquetus quoque dissert. de lact. thorac. exper. 4. Monspelii anno 1654. coram experientissimo Riverio invenit ac demonstravit in catella lactante, propè tertiam costam superiorem lacteum canalem ad mammas pertingentem è quo satis magna lactis copia efferebatur; quod experimentum sæpius iteravit in catellis lactantibus, pari semper lactis uberrimi ex rupto vasculo effusione, quoties juxta primas thoracis costas ab exterioribus partibus sectionem inciperet: Ex bifurcationibus hunc ramulum procedere antea animadverterat, qui non subclavio canali inserebatur, sed quasi furtim versus axillam inter thoracis musculos divertebat. Non minorem quoque Schenckius in cane lactante dissecta surculum lacteum pleno cursu extra abdomen ad ubera tendentem conspexit, qui compressus succum suum in papillam eructavit largeq; exstillavit. Ludovicus de Bils in Belgica apologia contra Joh. van Horne depingit quidem vascula quædam à circulo lymphatico in collo sito versus mammarum glandulas descendentia quæ lactea esse falsò putat, non distinguens, inter lymphatica & lactea vasa ut notat Clariss. Diemerbr. lib. 1. cap. 11. p. 89. Nos in cane lactante macilenta per 4. aut 5. circiter horas jusculis & cibis ante strangulationem bene pastâ, surculum è ductu thoraico, prope insertionem in subclaviam lacte plenum & turgidum thymi substantiæ inseri, eâque compressâ, liquorem albicantem ad ubera effundi & protrudi manifestè vidimus; unde verum thymi usum vix perfectè notum esse suspicor, ut alia occasione D. v. demonstraturus sum.

XI.

Ad uterum ramuli. AD uterum lacteos ramos quoque transire, licet hactenus à nemine adhuc visi aut demonstrati sint, suspiciones

nes tamen non leves persuadere conantur. Ipse Hippocrates libr. de Natur. pueri §. 21. in fine inquit; tendunt & in mammas & in uteros venulæ hæ & consimiles aliæ, & ubi pervenerint in uteros de lacte puer ipso paululum fruitur. Sententiam hanc defendendam suscepit Harvejus; rationes ejus signitas, vid. in Anatomia Bartholiniana pag. 264. quas inter palmaria est, quòd in ventriculis & intestinis similis materia & instar lactis coagulati conspiciatur; Non minora distributionis hujus indicia subministrat lac seu chylus ex utero profluens; quemadmodum Laurentius, Zacutus & alii testantur se vidisse quamplurimas puerperas, quæ per uterum maximam lactis copiam excrevêre. Ipsa quoque medicamenta assumpta dum non rarò ad uterum illæsa brevissimo hoc tractu perveniunt, sicuti practicorum Heurnii, ab Heer & aliorum observata confirmant, in difficili partu, dato croco, fœtus croco tinctos prodiisse.

XII.

QUemadmodum nunc lacteorum ad mammas & uterum ramificatio, ita ad vesicam vasorum horum dispersio veritati consentanea censetur, dum perpendimus, quòd illi qui aquas acidulas vel alium liquorem diureticum copiosius bibunt, intra semihoræ spatium sæpè tres quatuor pluresve seri libras emingant; Imò res solidas ac duras, ut semina anisi, fœniculi aliaq; duriora deglutita, per urinam reddant, sine ulla cordis alteratione; quod tamen vix possibile videtur, tantam seri crudi nec colorati copiam, substantiasque illas duras tam citò per vasa lactea, venam cavam ad dextrum cordis sinum, hinc per angustissimos & tortuosissimos pulmonum mæandros ad sinistrum cordis thalamum, indeque per aortam & arterias emulgentes perque renum filamenta meatusq; capillares ad vesicam sine *Ad vesicam ductus lactei.*

noxa & incommodo insensibiliter demandari: Qua de re, variarum sine sanguine cum lotio excretarum substantiarum exstant exempla. Ita Ephemer. Medic. Germ. Tom. 1. observ. 147. Petroselinum incisum in jusculo assumptum cum urina excrevit rusticus. Tom. 2. Ephemer. obs. 3. Ossiculum per ⊡m excrevit vir generosus. Ossiculum pruni Damasceni cum magna copia ⊡æ, organicem reddidisse refert Sachsius. Observ. 168. tom. 2. Ephem. ex observatione & relatione D. Olai Borrichii plumbum per ⊡m excretum fuisse à viro manducante ante triduum aviculas grandinibus plumbeis interfectas (mit Schrot;) similiter acum æneam à fabro argentario Regio ex ejusdem observ. Imò quinque acus ex improviso deglutitas, virginem quandam cum ⊡ reddidisse, refert Langius 2. epist. 40. Acum capillarem deglutitam quatuor digitos transversos longam in vesicam venisse, in eâq; post mortem repertam fuisse scribit Alexander Benedictus l. 3. anal. cap. 9. Parvum clavum ferreum, per imprudentiam deglutitum, diu post cum evulso calculo è vesica extractum fuisse (calculus enim circum clavum undequaq; accreverat ejusq; primum fundamentum fuerat clavus) refert Joh. Matthæus Hessus histor. rarar. casu 1. Aciculam mediocrem deglutitam cum ⊡a reddidit uxor Isbrandi de Diemerbrock, nec quicquam mali ab ista acicula persentiit, ut ipse testatur libr. 1. Anat. c. 17. Julius Alexandrinus annotat. ad cap. 14. lib. de subst. facult. natur. frustula radicum apii pridie commestarum, nummuli quadrantis magnitudine, cum ⊡ excreta observavit. Florentinus serm. q. tract. 4. cap. 29. refert quendam qui fungos non exactè masticatos comederat, notabiles eorundem particulas cum ⊡ excrevisse. Plutarch. lib. 8. sympos. probl. 9. scribit historiam viri, qui post longam

gam

gam ⊡æ difficultatem , culmum hordeaceum geniculatum excrevit. In Menſium ſuppreſſione laborantibus & inde factis cachecticis aliquoties in ⊡ ſemina hordeo excorticato non abſimilia, forſitan à juſculis hordeatis coctionem primã ſubterfugientibus excreta, obſervavit D. Waldſchmid, Academiæ hujus Profeſſor & Collega noſter honorandus. Hæc omnia nunc anguſtiſſimos renum & papillarum poros, fibrillasq; urinarias tranſiiſſe aut tranſire & transcolari ut nullus ſanguis comitetur, omnem fidem & rationem ſuperat: Vias itaque has cum Clariſs. Diemerbrock ſuſpicor eſſe, vaſa quædam lactea, licet occulta & hactenus incognita, ad veſicam abeuntia, quæ licet non in omnibus, tantum in quibusdam hominibus adeò patula eſſe poſſunt ut non tantum ſerum copioſum, ut in potoribus, & ipſum chylum lacteum, unde ⊡a chyloſa, verum & res quoque ſolidas transmittere queant. Suſpicioni huic non parum roboris addere videntur, dum Nicolaus Florentinus Serm. 5. tract. 10. cap. 21. refert, ſe noviſſe juvenem trigenarium, qui quotidie præter ⊡m copioſam, ſine ullo incommodo eminxit lactis quantitatem medii urinalis. Ita Capellus Medicus quoque, teſte Bauhino, vidit mulierem quæ dimidium cyathum lactis è veſica excrevit. Andreas Laurentius libr. Anat. quæſt. 10. nonnullas puerperas plurimam lactis copiam per uterum & veſicam excreviſſe obſervavit. Ex his jam apparet, lactea quædam vaſa non ſolum ad mammas; verum etiam ad uterum & veſicam pertingere, quæ ultima ad veſicam in ſtatu naturali ſerum, in p. naturali chylum aliasque res transvehere poſſunt; quam ob cauſam tàm rarò chylum lacteum ad veſicam defluere exiſtimandum eſt.

XIII.

XIII.

Usus lacteorum.

USum deniq; hujus ductus quod attinet, is est, chylum tempore distributionis primariò, secundariò verò factâ inprimis distributione lympham ad venam subclaviam devehere, ut in illa sanguinis ad effervescentiam in corde faciendam præparatio quasi fiat; Chylus enim ibidem sanguini venoso admistus, cum eoque per cavam ad cor delatus, in sanguinem mutatur.

XIV.

Chyli distributio.

CHylum unâ cum lympha venam subclaviam ingredi atque inde per cavam ad cor deferri, ex eo patet, quòd lac copiosum siphone in ductum hunc chyliferum injectum mox in subclaviam hinc in cavam & dextrum cordis ventriculum, unâ cum sanguine cavæ inhærente deferatur, ac per vulnus isti ventriculo inflictum effluere conspiciatur.

XV.

VAriæ adhuc ex hoc usu in praxi emergunt utilitates, multaq; phænomena explicari faciliùs possunt: Unde nempe momentanea sit illa restauratio à cordialibus exhibitis; Variorum quoque effectuum causæ dispalescunt; Consensus scil. ventriculi cum corde; Syncopalis febris ex ventriculo; Palpitationis cordis post cibum copiosum, viscosum, pulsuumque mutationis cibo assumpto, videatur Hogelandi œconom. animal. pag. 63. Mortis inopinatæ vel per venena vel vulnerationem; atrophiæ in gibbositate à compressis & obstructis thoracicis lacteis; doloris in dorso & mammis tempore lactationis; & simil;

XVI.

Totus chylus subclaviam intrat.

QUæstio hic non levis incidit, an per hunc ductum totus chylus ad subclaviam tendat? an verò etiam pars ipsius venas rubras mesaraicas ingressa ad hepar ascendat? Nos

totum

totum ad ſubclaviam tranſire cum Clariſſimo Diemerbr. cenſemus, eô excepto, qui vel in mulieribus gravidis ordinario curſu progreditur ad uterum, & in lactantibus ad mammas, vel curſu extraordinario interdum ad veſicam. Alteram ſententiam acriter defendere Deuſingius conatur Exerc. de chylificat. & chyli motu, his rationibus.

1. Nulla, inquit, proportio naturæ congrua exiſtit inter innumerabiles lacteas venas per meſenterium ſparſas, & thoracicos ductus, qui plerumq; tantum unicus eſt, chylum ulteriùs ad venas axillares devehentes. 2. Quomodo ductus thoracicus tantam chyli quantitatem per tot vaſa lactea ad chyli receptaculum advectam, ſine incommodo transmittet? 3. Tantilla exigua chyli portio, quanta per thoracicos ductus ad venas axillares & cavam deducitur, minimè ſufficit reſarciendo continuo ſanguinis, per univerſum corpus agitati atque effervescentis diſpendio, ut nec continuæ omnium partium detritioni reficiendæ. 4. Cùm multum chyli generetur, & pauxillum duntaxat per anguſtias thoracici ductus tranſire poſſit, ubinam manſurus eſt reſiduus chylus, qui inter utrumq; paſtum per exilem thoracicum ductum tranſire non potuit? 5. Illa maxima chyli pars, quæ tempore imprægnationis & lactationis fertur ad uterum & mammas, quorſum fertur illa extra tempus imprægnationis & lactationis, cùm per ductus thoracicos eam tranſire non poſſe veroſimile ſit? 6. Si ductus thoracicus in vivo animali citiſſimè vinculo intercipiatur, motus lactei liquoris in meſenterio non inhiberi deprehenditur, cùm tamen nihilominus venæ lacteæ ſenſim evaneſcant. Tandem ſubjicit experimentum Ludovici de Bils, qui Cani vivo diſſecavit abdomen, eo facto, arterias & venas meſaraicas à ſe invicem ſeparavit & omnibus arteriis ligaturam injecit, *Deuſingii ſententia.*

ita

ita ut nullum sanguinem in venas amplius transfundere potuerint, tunc abdomen rursus consuit, & sic canem per quatuor aut quinque horas in vita, ope alicujus liquoris per os infusi conservavit, usque dum cibi ante hanc sectionem dati in chylum sint mutati: tunc deniquè rursus aperto abdomine, vasa interiora quæsivit & arterias omninò vacuas, sed venas turbulento quodam liquore, coloris obscurè cinerei repletas invenit; Unde exactè ipsâ autopsiâ sententiam suam probari putat.

XVII.

Responsio. VErùm tantum efficaciæ argumenta illa, quantum quidem promittitur non continere, nec acutissimo invento ipsam veritatem suffragari cum Clariss. Diemerbr. sentio.

Ad primum igitur & secundum respondetur, non minorem, imò multò majorem esse proportionem vasculorum lacteorum mesaraicorum cum uno vel duobus ductibus thoracicis, quàm est tot innumerabilium venarum, à capite, pedibus brachiis, aliisve quibusvis partibus delatarum, cum una vena cava, in quem omnes se exonerant: nam si tot venarum myriades spectentur, illæ omnes decuplo plus sanguinis in cavam exonerare videbuntur, quàm vel cava capiat, vel commodè à se dispellere possit: Quia tamen hoc sine tumultu & incommodo fieri cernimus, quid mirabimur, quòd illud ipsum etiàm convenienter fiat in vasis lacteis? Præterea chyli processus non est tam continuus, quam sanguinis. Denique si à simili liceat argumentari, videndum quantum seri per angustos ureteres brevi tempore transeat; si hoc sine ulla molestia in iis fiat, quare etiam per vasa lactea & canalem thoracicum tantundem transire negabimus?

ad

Ad tertium & quartum. Non esse tantillam seu exiguam portionem chyli quæ per thoracicos ductus transit, sed copiosam, ut per autopsiam patet, hâcque hyeme in molosso manifestè observavimus, ubi è sacculo chylifero tanta post disruptionem copia chyli effluebat, ut adstantes in admirationem raperet. Huc facit quoque Experimentum Loweri, qui in vivo cane, perforato interdum thoracis dextro latere, receptaculum chyli propè diaphragma digito laceravit, consutoque externo vulnere, canem in vita servavit beneque saginavit, sed ut ut copiosè cibatus intra triduum inedia confectus exspiravit; aperto cadavere, invenit chylum totum expulsum ad aliquot libras in illud thoracis latus, quo vulneratus fuerat, apertisque venis sanguis crassior & sero destitutus nec ulla chyli admistione refocillatus visus fuit. Et quamvis seriam impenderit operam, variaq; fecerit experimenta, tandem tamen sibi constitit, totum chyli penũ, nulla alia via quam per ductus chyliferos thoracicos in sanguinem infundi; Si enim cursus ejus per vasa thoracica impediatur, animal qualicunque cibo satiatum intra paucos dies fame penitus interibit.

Ad quintum dicitur, magnam quidem chyli partem per ductus thoracicos fluere solitam, tempore imprægnationis & lactationis ferri ad uterum & mammas, & quia defectu istius chyli aliorsum delati corpus mulieris non satis nutritur, hinc mulieres illas, si modo sanæ, natura impellente, esse magis famelicas, ut edendo & bibendo suppleri possit ille defectus: quòd si verò mulieres istæ vitio partis alicujus non sint satis famelicæ, sed vel pauco & solito minore fruantur alimento, tunc illas ob chylum ad fœtus nutritionem aliorsum delatum, admodum debilitari & penitus emaciari, ut quotidiana docet experientia.

Ad sextum refertur; quòd intercepto ductu thoraeico & moriente animali, videamus quidem lacteas mesaraicas, partim à vicinis incumbentibus partibus pressas, partim in se concidentes, sensim evanescere, sed non, quia chylus venas mesaraicas ingreditur, verùm quia in sacculum chyliferùm & ductum thoracicum infunditur, qui tunc chylo præter solitum valde turgent ac distenduntur: Cùmque in eos plus infundi nequit, tunc etiam circa magnam glandulam mesenterii in lacteis thoracicis subsistit, in iisque per integrum diem & diutius conspici potest, quæ non fierent, si venas mesaraicas rubras ingrederetur.

Ad experimentum Bilsii reponitur, prorsus invalidam esse inde sumptam probationem; Frustrà enim experimentum illud semper tentavit Lowerus: Etiam, si rem penitius inspiciamus, comperiemus sanguinis in venis Mesaraicis contenti neque colorem, neque consistentiam, neque quantitatem unquam docere posse chylum per illas vias transire: Sanguis enim in venis mesaraicis contentus, ratione partis per quam decurrit, per se nonnihil fœculentior & magis turbidus, quàm sanguis aliarum partium bene temperatarum. Sanguis itaque proposito, experimento, in venis mesaraicis istum colorem ac consistentiam fortè nactus, quia ob injectas ligaturas continuò arteriosi sanguinis affluxu, nulla facta refocillatio; ut taceam sexcentas alias causas, dum vel ob anastomoses vasorum lymphaticorum cum venoso simul genere; vel ob pravam partis aut totius constitutionem, quemadmodum in cachecticis & scorbuticis observamus, quibus & aliis textura sanguinis venosi facilè mutari potest, ut alia inde luminis fiat modificatio.

Restarent adhuc Harveji argumenta nonnulla resolvenda,

venda, quibus omnia impugnare conatur lactea vasa: Verum cùm jam ☉le meridiano clarius, dari vasa lactea, sponte sua diffluunt.

Claudimus hosce rivos de chylifero rivo considerantes illud Senecæ, quòd rerum natura sacra sua non simul tradat nec arcana ejusdem promiscuè, nec omnibus pateant, redacta sint & in interiori sacrario clausa; ex quibus aliud hæc ætas, aliud postera accipit & depromit; interim Deo τρισαγίῳ, soli sanitatis remuneratori sit laus, honor & gloria, in sempiterna secula.



COROLLARIA.

1.

Chylus per artem produci potest.

2.

Mictio puris aut sanguinis renum aut vesicæ exulcerationem non semper notificat.

3.

Dentes generantur infantibus in utero.

4.

Apostolus Paulus, quum sub impio Neronis dominatu ad supplicium duceretur, capite amputato, lymphæ & lactis undam naturaliter profudit, si vera quæ in actis narrantur.


5. *Bilis*

5.

Bilis non eſt in ſanguine.

6.

Humor in amnio & chorio contentus non eſt humor excrementitius.



Vir Experientiſſime.

Dies diem docet, & quæ ſphæram intellectus ſuperare olim videbantur, nunc obſtetricante Anatomia è difficultatum latebris emergunt ſpontè, & noſtro in ſeculo in ſcenam introducuntur ab illis, qui in Verba Magiſtri non jurarunt. Ductum deſcribis Thoracicum, & Chyli Semitam cultro ad artem compoſito & ſtylo graviori oſtendis, Remque Medicam cum aliis ex imo facis enatare ad ſummum. Gratulor itaque Tibi, Vir Nobilisſime, ex Animo devoto cum voto, ut ſpartam hanc proſperâ valetudine, Secundâ Fortunâ & Animo Conſtanti plures geras in Annos. Hoc vovet

Tuus ex Animo

J. J. W. D.